

celebratur, etiamsi præfatio missæ votivæ propria dicatur (1).

2. *Ite missa est* dicitur in votiva, dum recitatur *Gloria*, et alias semper *Benedicamus Domino*, in quocumque colore celebretur.

3. Numquam legitur in fine missæ votivæ aliud evangelium nisi s. Joannis, quamvis celebretur in feria aut vigilia proprium evangelium habente.

4. In missis votivis sanctorum et festivitatum idem adhibetur color, ac in die eorumdem festorum, excepta sola votiva ss. Innocentium, quæ in colore rubeo celebranda est (2).

In votivis quæ in fine missalis pro singulis hebdomadæ feriis assignantur, color est albus in votivis ss. Trinitatis, Angelorum, ss. Sacramenti et B. M. V.; rubeus in votivis de Apostolis, de Spiritu Sancto et de Cruce; violaceus in votiva de Passione Domini.

In reliquis votivis, quæ in fine missalis ponuntur, color est rubeus in missa pro eligendo Summo Pontifice; albus in anniversario electionis seu consecrationis Episcopi et in missa pro sponso et sponsa; et violaceus in reliquis omnibus a missa ad tollendum schisma usque ad illam pro peregrinantibus vel iter agentibus inclusive.

5. Missæ votivæ solemnes in cantu solemniter celebrandæ sunt (3); privatæ autem in tono feriali, nisi in quibusdam casibus indulgendum sit, ut quoad pompam extrinsecam solemniter celebrentur (4).

Titulus V.

DE MISSIS DEFUNCTORUM.

Rub. 1. *Prima die (a) cujusque mensis (extra Adventum, Quadragesimam et tempus Paschale) non impedita*

(1) S. R. C. 16 Jun. 1663, n. 2076-2223, 3.

(2) Merati p. 1, tit. 4, n. 36.

(3) Rub. gen. tit. XII, n. 4; S. R. C. 19 Maji 1607, n. 204-351, 14.

(4) S. R. C. 14 Maji 1644, n. 1353-1501.

Officio Duplici, vel Semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, et aliis. Si vero in ea fuerit festum Simplex, vel Feria, quæ propriam habeat Missam (b) aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis (c) quæ fuit impedita, et infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resummi possit, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicantur duæ Missæ, una pro defunctis, alia de Festo Simplici, vel Feria prædicta. Sed in Ecclesiis non Cathedralibus, nec Collegiatis dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro defunctis.

2. *Præterea Feria secunda cujusque hebdomadæ (d), in qua Officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro defunctis (e). Si autem fuerit propria Missa de Feria, vel de Festo Simplici, vel resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, ut supra, in Missa de die fiat commemoratio (ut dictum est) pro defunctis. Excipitur tamen Quadragesima, et totum tempus Paschale, et quando per annum Officium est Duplex, vel Semiduplex: quibus temporibus non dicitur Missa conventualis pro defunctis (nisi in die depositionis defuncti, et in Anniversario pro defunctis) (f), neque pro eis fit commemoratio. Missæ autem privatæ pro defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in Festis Duplicibus et Dominicis diebus.*

3. *In die Commemorationis omnium defunctorum, et in die depositionis, et in Anniversario defuncti, dicitur una tantum oratio: et similiter in die tertia, septima, trigesima, et quocumque pro defunctis solemniter celebratur; in aliis Missis plures, ut de Feriis et Simplicibus dicitur infra in Rubrica de orationibus.*

4. *Sequentia pro defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, et depositionis defuncti, et quocumque in Missa dicitur una tantum oratio, in aliis autem Missis pro Defunctis dicatur ad arbitrium Sacerdotis.*

50. Annotatur. *a.* Hæc missa est præceptiva (1).

Prima die mensis impedita officio duplici aut semiduplici, extra adventum, quadragesimam et tempus paschale (2) missa differenda est ad aliam primam diem similiter non impeditam infra eundem mensem (3).

Si prima die mensis ss. Sacramentum ob publicam causam exponatur, missa conventualis de *Requiem* in hac die non dicitur, sed amandari debet in aliam diem non impeditam post Sacramenti repositionem (4). Ideo tamen non omittitur commemoratio generalis pro defunctis (5).

Si prima dies mensis et feria secunda occurrant, servanda est rubrica principalior, quæ habetur hoc n. 1 (6).

b. Nomine feriæ, quæ habet missam propriam, comprehenditur vigilia.

c. Quando resumenda sit missa dominicæ præcedentis, vid. n. 25.

Si prima die mensis officium fiat de feria et infra eandem hebdomadam denuo officium feriale recurat; eo casu prima illa mensis die celebranda est unica missa conventualis generaliter pro defunctis, ac tum in alia feria resumenda est missa dominicæ præcedentis (7).

d. *Feria secunda* etiam infra adventum (8).

e. *Dici potest*, adeoque non debet, sed etiam dici potest missa dominicæ præcedentis, aut votiva ss. Trinitatis cum commemoratione pro defunctis.

f. *Nisi in die depositionis* etc. significatur, non quod in die depositionis et anniversario missa de *Requiem* cantari queat loco missæ conventualis; nam hæc omitti non potest, ut cantetur missa de *Requiem*, uti S. R. C. sæpius declaravit :

(1) S. R. C. 27 Feb. 1847, n. 4910-5063, 1.

(2) Dec. cit. ad 4.

(3) S. R. C. 15 Maji 1745, n. 4018-4167.

(4) Gardellini instr. Clem. § 17, n. 5, 6 et 7.

(5) Cavalieri t. 4, dec. 150, n. 5.

(6) Janssens hoc loco n. 19.

(7) Halden p. 1, tit. 5.

(8) Gavantus p. 1, tit. 5, litt. 1, et Cavalieri t. 3, dec. 44, n. 15.

sed denotatur tantum, quod in duplici et semiduplice missa de *Requiem* pro depositione et anniversario defuncti præter missam conventualem, ubi hæc ligat, permittatur.

51. An et quandonam in missa diei fieri potest aut debet commemoratio pro defunctis?

R. 1° In missa conventuali collectæ pro defunctis non admittuntur, nisi in missis festorum simplicium et ferialibus, ut supra in rub. n. 1 et 2, dicitur (1).

2° Licet duo textus rub. supra n. 1 et 2 de missa conventuali proprie sint accipiendi, ad missas tamen non conventuales eosdem aptari non tantum convenit, sed S. R. C. censuit, quod « quoties quis privatim celebrat de simplici vel » reassumit missam dominicæ præcedentis in feria 2^a vel » 1^a die mensis non impedita, teneatur dicere secundam » orationem *Fidelium* tam in missa conventuali, quam in » cæteris privatis » (2). Ex quo decreto consequitur, eandem orationem *Fidelium* dicendam esse in casibus expressis in rubricis, quotiescumque celebratur non tantum de simplice, sed etiam de feria, vigilia, aut votiva.

3° In missa non conventuali potest dici oratio pro defunctis, sive generaliter pro omnibus, sive specialiter pro aliquo vel aliquibus, quodcumque permittuntur missæ privatae defunctorum, aut plures pro libito orationes in missa dicuntur (3).

52. Quo loco facienda est commemoratio defunctorum?

R. *Si facienda sit commemoratio pro defunctis, semper ponitur penultimo loco* (4), videlicet diebus a rubrica præscriptis, id est, prima die mensis et feria secunda hebdomadæ, penultimo loco inter collectas a rubrica præscriptas; et post easdem dicendæ sunt orationes imperatæ (5). His igitur diebus dicitur ante ultimam orationem præscriptam; ita

(1) S. R. C. 31 Jul. 1665, n. 2198-2345, 9.

(2) S. R. C. 13 Aug. 1701, n. 3446-3595; Guyetus, l. 4, c. 23, q. 25.

(3) S. R. C. 2 Dec. 1684, n. 2924-3073, 6; Cavalieri t. 3, dec. 73, n. 1, 2, 3.

(4) Rub. gen. tit. VII, n. 6.

(5) S. R. C. 12 Dec. 1879, *Valentinen* I, in Actis S. Sedis vol. XII, fol. 642.

ut, si una commemoratio specialis occurrat, dicatur secundo loco; si duæ occurrant, tertio loco; et si nulla commemoratio specialis detur, semper recitetur secundo loco, secunda oratio pro tempore assignata dicatur tertio loco, et dicenda tertio loco, omittatur (1).

Si vero pro libito addatur diebus, quibus missæ de *Requiem* permittuntur, ut supra dictum est, etiam semper ponenda est penultimo loco (2), sed ante orationem imperatam, si dicenda præscribatur (3); et in hoc casu nulla ex collectis pro tempore assignatis omitti potest (4).

DE QUATUOR MISSIS DEFUNCTORUM.

53. Quatuor missæ pro defunctis in fine missalis assignantur, quæ tamen non differunt nisi in oratione, epistola et evangelio, et circa quas notanda est rubrica, posita in fine missæ quotidianæ: « epistolæ et evangelia superius posita » in una missa pro defunctis, dici possunt etiam in alia » missa similiter pro defunctis. » Ita ut celebranti liberum sit, eligere epistolam aut evangelium, vel etiam utrumque simul ex alia missa pro defunctis, quam ex ea, quam jam de facto celebrat: convenit tamen in unaquaque missa servare suam epistolam et evangelium, quia non nisi ob quamdam congruitatem unicuique missæ assignata sunt (5). Unde quæritur.

54. Quando unaquæque ex quatuor missis pro defunctis dicitur?

R. Prima dicitur, 1° in omnibus missis, quæ celebrantur in die commemorationis fidelium defunctorum, nisi corpore

(1) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 4746, 1, q. 4.

(2) S. R. C. 2 Dec. 1684, n. 2924-3073, 6; 23 Maji 1835, n. 4597-4746, 1, q. 4.

(3) S. R. C. 23 Maji 1835 loco cit.

(4) S. R. C. 2 Dec. 1684 loco cit.

(5) S. R. C. 3 Oct. 1699, n. 3387-3536; Cavalieri t. 3, c. 10, n. 16.

præsente missa depositionis sit celebranda, quo casu unica missa ut in die obitus cantanda est (1); 2° in die obitus seu depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario summi Pontificis, Cardinalium et Episcoporum, cum orationibus, quæ post missam quotidianam assignantur cuique propriæ, ob dignitatem pontificalem; 3° in die obitus seu depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario defuncti Sacerdotis dici potest prima vel altera missa, sed semper cum oratione: *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes* etc. (2); 4° quidam primam missam etiam assignant regibus, principibus et magnatibus, cum orationibus missæ depositionis vel anniversarii, item commemorationi omnium defunctorum ordinis (3). Notandum autem, extra diem depositionis, tertium, septimum, trigesimum et anniversarium pro defuncto Pontifice, Cardinali, Episcopo, Sacerdote aliisque dici missam quotidianam (4).

Secunda dicitur in die obitus seu depositionis Sacerdotis, ut dictum est in præced. ad. 3, clericorum Sacerdotibus inferiorum, et laicorum; item in eorundem die tertio, septimo et trigesimo cum orationibus in fine hujus missæ assignatis.

Tertia dicitur in anniversario Sacerdotis, ut dictum est supra, clericorum Sacerdotibus inferiorum, et laicorum; item in anniversario omnium benefactorum, fundatorum, fidelium in ecclesia defunctorum, etc. (5).

Quarta seu quotidiana dicitur prima die mensis et feria secunda hebdomadæ, dum missa principalis dicitur pro defunctis; 2° dum celebratur pro defunctis extra diem obitus aut depositionis, tertium, septimum, trigesimum et anniversarium; 3° quando infra annum pro omnibus fidelibus defunctis celebratur, dicitur missa quotidiana cum sola oratione *Fidelium*, si solemniter celebretur; et si non solemniter,

(1) S. R. C. 20 Sept. 1687, n. 3000-3149.

(2) S. R. C. 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 14.

(3) Guyetus l. 4, c. 23, q. 27; Janssens p. 1, app. ad tit. 5, § 4.

(4) Cavalieri t. 3, c. 10, n. 14.

(5) S. R. C. 5 Mart. 1870, n. 5445, V.

cum tribus orationibus in missa quotidiana assignatis, quibus tamen duæ aut quatuor aliæ pro libito adjungi possunt, modo ultimo loco dicatur *Fidelium* (1).

DE DIE OBITUS SEU DEPOSITIONIS ET MISSA EXEQUIALI.

55. Not. per diem obitus seu depositionis intelligi totum spatium ab instante mortis usque ad sepulturam, quod in favorem recens defuncti reputatur pro uno eodemque die, licet unus aut plures dies intercedant (2).

56. Quandonam permittitur et prohibetur missa exequialis?

Resp. I. Præsente corpore celebrari potest omni die, *dum tamen missa conventualis*, ubi obligat, aut parochialis, si sit dies dominica aut festiva, *et officia divina non impediuntur, magnaue diei celebritas non obstat* (3).

Ne officia divina impediuntur, in parochia, in qua præter parochum nullus est alius sacerdos, si in diebus S. Marci et rogationum et in vigilia Pentecostes occurrat sepultura, quæ anticipari vel differri non potest, non est omittenda functio horum dierum, neque missa harum functionum pro sepultura celebrari potest, sed sepultura facienda est sine missa defunctorum (4).

Propter magnam diei celebritatem prohibetur 1° in triduo sacro majoris hebdomadæ, etiam in sabbato post missam solemnem de die (5).

2° Prohibetur in festis duplicibus 1 cl. quæ festiva sunt de præcepto, et solemniter, seu cum multo apparatu et pompa exteriori celebrantur (6). Qualia festa sunt nativitas Domini,

(1) Merati p. 1, tit. 5, n. 12; Cavalieri t. 3, dec. 78, n. 10.

(2) Cavalieri t. 3, c. 3; Janssens app. ad tit. 5, § 2, n. 2.

(3) Rit. Rom. de exeq.; S. R. C. 26 Jan. 1793, n. 4299-4418, 7.

(4) S. R. C. 3 Jul. 1869, n. 5439.

(5) S. R. C. 16 Ap. 1831, n. 4519-4668; 23 Maji 1835, n. 4599-4748, 7.

(6) S. R. C. 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 12; 17 Jul. 1830, n. 4511-4660.

epiphania, dominicæ paschatis et pentecostes, ascensio Domini, festum ss. Corporis Christi, assumptio B. M. V., item (1) festum primarium ss. apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, et patroni principalis loci (in omnibus loci ecclesiis); quæ festa solemnissima sunt, et ubique solemniter celebrari debent. Item prohibetur in anniversario dedicationis propriæ ecclesiæ (2).

3° Prohibetur in festis epiphaniæ, ss. Corporis Christi, ss. apostolorum Petri et Pauli, et patroni principalis loci, nec non in dominicis, in quas solemnitas eorundem festorum transfertur in toto reipublicæ gallicanæ territorio, ubi hæc festa per indultum pro reductione festorum 9 Ap. 1802, sunt suppressa (3).

4° Prohibetur in festo principalis patroni seu titularis ecclesiæ, licet non sit patronus loci, sed tantum in illa ecclesia, cujus est titulus (4).

5° Prohibetur tempore expositionis ss. Sacramenti ob publicam causam, seu quodcumque ss. Sacramentum publice et detectum exponitur, ut dicitur tom. II, n. 21, nisi expositio fiat ratione exequiarum personæ publicæ, uti regis (5). Adeoque ante missam exequialem vel ss. Sacramentum est reponendum; et si reponi nequeat, ut in precibus 40 horarum et similibus, missa exequialis est anticipanda vel differenda (6). De casu quo cadaver in ecclesiam sit inferendum, dicitur tom. 3 de exequiis n. 235.

6° Prohibetur in festo nativitatis s. Joannis Baptistæ, etiamsi solemnitas transferatur in Dominicam, in qua Dominica etiam prohibetur, nisi tamen populus, nihil curans nec memoriam habens de ea translatione, fere eodem modo ac antea Nativitatem s. Joannis recolit (7).

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 4376-4526, 44.

(2) Decret. gener. S. R. C. 27 Febr. 1882, n. 5836.

(3) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 4597-4746, 14, q. 6.

(4) S. R. C. 27 Mart. 1779, n. 4244-4393, 4; 9 Ap. 1808, n. 4357-4507, 1; 7 Sept. 1816, n. 4376-4526, 44.

(5) S. R. C. 13 Mart. 1804, n. 4341-4490.

(6) S. R. C. 19 Junii 1875, n. 5613.

(7) S. R. C. 20 Aprilis 1888, Urgellen. Eph. Lit. 1888, p. 327. *Revue theol.*, 1889, p. 330.

Ad petitionem Episcopi Lucionensis, ad dubium VIII :
 « Cum festa s. Josephi et Immaculatæ Conceptionis B. M. V. ad primum gradum inter solemnitates evecta sint, quæritur an his diebus liceat celebrare missam solemnem de requie præsentis cadavere, uti fit feria 2^a et 3^a infra Octavam Paschæ et Pentecostes? » S. R. C. respondit : negative (1).

Aliis diebus præter prædictos, in quibus prohibetur, missa exequialis præsentis corpore permittitur, etiam in dominicis 1 classis juxta dec. S. R. C. 23 Sept. 1837 (2), quo permittitur in dominica palmarum, et consequenter in dominicis primis adventus et quadragesimæ, passionis, in albis et ss. Trinitatis, quæ minus solemnnes et privilegiatæ sunt, quam dominica palmarum. 2^o Permittitur in feriis secundis et tertiis paschatis et pentecostes (3). 3^o In feria secunda, tertia et quarta majoris hebdomadæ (4) et consequenter in similibus ut feria quarta cinerum, et vigiliis nativitatis Domini, Epiphaniæ et pentecostes. 4^o Exceptis festis 1 cl. supradictis, permittitur in illis festis 1 cl. quæ festiva non sunt de præcepto, licet cum multo apparatu et pompa exteriori celebrentur, et etiam in festivis 1 cl. quæ talem exteriorem solemnitatem non habent (5). 5^o Permittitur in festis 2 cl., licet sint de præcepto, et simili solemnitate atque apparatu, ac festa 1 cl. celebrentur (6).

Resp. II. Corpore sepulto sine missa ad vesperam ob aliquam rationabilem causam, vel in die, qua missa exequialis præsentis corpore interdicitur, prohibetur missa exequialis in dominicis (7) atque in duplicibus 1 et 2 cl. ac festis de præcepto (8); permittitur autem omnibus aliis diebus (9), etiam in

(1) S. R. C. 29 Dec. 1884, in Lucion. n. 5929, 8.

(2) N. 4674-4822, 2.

(3) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 3970-4119, 4.

(4) S. R. C. 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 13.

(5) S. R. C. 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 12 et 13; 27 Mart. 1779, n. 4244-4393, 4; 9 Ap. 1808, n. 4357-4507, 1.

(6) S. R. C. 9 Ap. 1808, n. 4357-4507, 2.

(7) S. R. C. 23 Maji 1603, n. 51-197, 5; 11 Ap. 1840, n. 4742-4888.

(8) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 4376-4526, 43.

(9) Dec. cit. et 1 Sept. 1828, n. 4695-4840, 1.

hebdomada sancta, excepto triduo sacro (1), et consequenter, ut in præcedenti dictum est, etiam infra octavas privilegiatas, feria quarta cinerum, et in vigiliis nativitatis Domini, epiphaniæ et pentecostes, quia hi dies non magis sunt privilegiati quam feriæ hebdomadæ sanctæ.

Not. 1^o Hanc missam exequialem, ut privilegio gaudeat, tantum posse transferri in sequentem diem, seu in primam post sepulturam diem non impeditam dominica, festo dup. 1 aut 2 cl. vel festo de præcepto (2). 2^o Dictam missam celebrari eadem solemnitate, ut in die obitus, sine variatione in collectis. 3^o Festum de præcepto esse, cui a legitimo superiore annexum est præceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus (3). Talia festa censentur omnia, quæ per constitutionem Urbani VIII 1642, ex præcepto colenda sunt : quia licet præceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus in aliquibus locis abrogatum sit, Summi tamen Pontifices Clemens XIV ac Pius VII expresse declararunt in consueto divinorum officiorum sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu nihil esse innovandum, sed omnia eadem prorsus ratione peragenda, ac si festa adhuc forent de præcepto.

Juxta decretum S. R. C. 13 Februarii 1892 ad dub. 27 in Calagur. et Calceat. Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice præsens, ita ut Missa exequialis in casu cantari licite valeat quoties præsentis cadavere permittitur.

Resp. III. Si corpore sepulto, missa exequialis ad aliquod tempus differatur, ut præsentibus amicis circa castrum doloris, ac si corpus adesset, solemniter cum precibus consuetis cantetur; certum est hanc missam sine speciali indulto cantari non posse in duplici et æquivalente, si corpus cum missa sepultum fuerit (4): privilegium enim cantandi missam exe-

(1) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 4674-4822, 1.

(2) S. R. C. 23 Maji 1603, n. 51-197, 5; 18 Dec. 1779, n. 4246-4395, 9.

(3) S. R. C. 11 Maji 1754, n. 4095-4244, 5.

(4) S. R. C. 27 Feb. 1847, n. 4926-5079, 1.

qualem in duplice, intelligitur tantum de unica missa, ut dicetur quæst. seq. Si corpus ob aliquam causam sine missa sepultum fuerit, tunc missa exequialis, ut gaudeat privilegio cantandi in duplice, differri non potest ad tempus benevisum, sed tantum ad sequentem diem vel primam per rubricas non impeditam, ut dictum est in præcedente responsione not. 1. Sic S. R. Congregatio (1) declaravit, missam de *Requiem*, quæ cantatur, cum primum nuntium accipitur de obitu alicujus, non posse differri ad triduum, sed ad primam diem non impeditam. Si itaque missa exequialis ulterius protrahatur, nullum pro hac missa agnoscitur privilegium: decretum autem S. R. C. (2) quod pro ea citatur, non agit de præsentem casu, sed de missa exequiali in ipso die depositionis absente corpore; quinimo videtur prohiberi in duplice et æquivalente per dec. S. R. C. (3). Unde in casu occurrente diem semiduplicem vel æquivalentem eligere præstat.

Not. pro missa exequiali, quæ ultra primam diem non impeditam transfertur, celebrandam esse missam quotidianam, vel si placuerit juxta dicta n. 53, secundam missam ut in die obitus, sed cum oratione *Inclina* pro defuncto, vel *Quæsumus* pro defuncta.

57. Quot missæ in exequiis diebus, quibus prohibentur missæ privatæ de *Requiem*, in nigris celebrari possunt?

R. Unica tantum (4). Missæ privatæ in ecclesia, in qua fit officium duplex vel æquivalens, occasione exequiarum nullatenus de *Requiem* celebrari possunt (5), sed celebrandæ sunt de officio currente (6). Item in funeribus adventitiis missa de *Requiem* decantari nequit (7).

(1) 27 Mart. 1779, n. 4244-4393, 2.

(2) 19 Sept. 1654, n. 1585-1732.

(3) 3 Dec. 1701, n. 3453 et 3455-3602 et 3604; 13 Jul. 1709, n. 3664-3813; 11 Maji 1754, n. 4095-4244.

(4) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 3970-4119, 4; 4 Sept. 1745, n. 4026-4175, 2; 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 12; 7 Sept. 1816, n. 4376-4526, 43; 23 Maji 1846, n. 4901-5050, 13; Cavalieri t. 3, dec. 22, n. 6 et 7.

(5) Dec. gen. 5 Aug. 1662, n. 2031-2178, et cit. 29 Jan. 1752.

(6) S. R. C. 10 Jun. 1690, n. 3071-3220.

(7) S. R. C. 7 Sept. 1861, n. 5315, 4.

Licet autem unica tantum missa de *Requiem* celebrari possit causa exequiarum seu officii funeralis aut sepulturæ defuncti sive in eadem sive in diversa ecclesia (1); ex alio tamen titulo, scilicet confraternitatis, societatis, religionis, benefactoris, alia missa exequialis de *Requiem* cantari potest in die obitus seu depositionis sed non postea, corpore non præsentem aut alibi sepeliendo, iisdem diebus, quibus permittuntur anniversaria (2). Item cum primum accipitur nuntium de obitu alicujus de gremio congregationis, capituli, religionis, etc. in alio loco; potest diebus, quibus permittuntur anniversaria, ac etiam in vigilia epiphaniæ, pro eodem cantari missa de *Requiem* ut in die obitus, statim ac nuntium accipitur, seu in prima die non impedita, ultra quam tamen differri nequit. Notandum autem, dici posse, primum accipi nuntium, non dum obitus uni alterive intimatur, qui solus missam cantare nequit, sed dum notitia ad congregationem, capitulum, etc. pervenit. 2º Hanc missam posse cantari in quolibet ejusdem congregationis monasterio, cum primum ibidem de obitu accipitur nuntium (3).

In regum similiumque personarum exequiis, quæ cum missa solemnem in omnibus ecclesiis celebrantur, *debet eligi dies non impedita festo duplici*, nisi in festo duplici necesse fuerit exequias celebrari (4).

58. Qualis debet esse missa exequialis, ut in duplice et æquivalente celebretur?

R. In quibusdam decretis S. R. C. missa exequialis dicitur solemnem (5), et ad missam solemnem saltem requiruntur ministri (6); juxta posteriora autem decreta sufficit, sed et

(1) S. R. C. 16 Ap. 1853, n. 5183, 21.

(2) S. R. C. 19 Sept. 1654, n. 1585-1732; 11 Maji 1754, n. 4095-4244, 3; Cavalieri t. 3, dec. 23.

(3) S. R. C. 4 Maji 1686, n. 2961-3110, 2; 3 Mart. 1761, n. 4150-4299, 13; 27 Mart. 1779, n. 4244-4393, 2 et 3; Merati p. 1, tit. 5, n. 11; Cavalieri t. 3, dec. 24, qui hæc decreta ad quascumque personas et ecclesias extendit.

(4) S. R. C. 10 Jun. 1690, n. 3071-3220.

(5) 2 Sept. 1742, n. 3970-4119, 4; 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 12.

(6) 3 Aug. 1839, n. 4713-4859, 7.

requiritur missa cantata (1). Hoc confirmari potest alio decreto (2), quo declaratur, unicam orationem dicendam in missa de *Requiem*, cum cantu; ita ut, licet missa cantata sine sacris ministris stricte solemniter non sit dicenda, privilegiis tamen missæ solemniter fruatur.

An igitur, ut missa exequialis in duplici celebretur, non sufficit ut legatur?

R. Quidam censent in ecclesiis, in quibus missæ cantari non solent, vel pro pauperibus, qui expensas missæ cantatæ solvere non valent, missam de *Requiem* posse legi iisdem diebus, quibus alias permittitur missa cantata (3); sed obstantibus expressis et claris S. R. C. decretis, dicendum est missam lectam in duplici et æquivalente sine speciali indulto non permitti (4), neque in ecclesiis ruralibus aliisque, in quibus missa cantari non solet (5), neque pro pauperibus defunctis (6). Et S. R. Congregatio juxta decretum Alexandri VII (7) censuisse videtur, potius missam diei esse legendam, quam privatam de *Requiem* permittendam. Speciale tamen indultum a S. R. C. pro diocesi Brugensi et Mechliniensi datum est, scilicet ut in exequiis pauperum, qui solvere non valent expensas missæ cantatæ, præsentem corpore legatur missa de *Requiem* iisdem diebus, quibus permittuntur anniversaria defunctorum (8). Hoc indultum ad alias dioceses et ecclesias extendi posse, indulget S. R. Congregatio 2 Sept. 1871 (9).

(1) 3 Mart. 1761, n. 4150-4299, 13; 7 Sept. 1816, n. 4376-4526, 43; 17 Jun. 1843, n. 4822-4968, 2.

(2) 12 Aug. 1854, n. 5208, 11.

(3) Cavalieri cum Pasqualigo t. 3, dec. 27; Bouvry de missis def. n. 19.

(4) 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 12; 17 Jun. 1843, n. 4822-4968, 1.

(5) 23 Maji 1835, n. 4599-4748, 6.

(6) 17 Aug. 1833, n. 4570-4719.

(7) 5 Aug. 1662, n. 2031-2178; 17 Aug. 1833, n. 4570-4719; 11 Ap. 1840, n. 4745-4891.

(8) 12 Sept. 1840, n. 4750-4897, 1, et 22 Maji 1841, n. 4774-4921, 6.

(9) N. 5491, ad III.

DE ANNIVERSARIIS DEFUNCTORUM.

59. Quid intelligitur per anniversarium?

R. Missa de *Requiem*, cantata, relicta ex dispositione testatoris, quotannis in die ipsius obitus celebranda (1).

Dicitur 1^o *Missa de Requiem* 1^o quia missa debet esse de *Requiem*, ut gaudeat privilegiis; nam si missa diei seu festiva sit fundata, hæc non gaudet privilegio, ut in duplici cantari possit; et 2^o quia obitus die impedito cantari non potest missa de occurrente festo vel feria privilegiata per applicationem Sacrificii; sed in casu missa anniversaria de *Requiem* in die præcedente vel sequente non impedito, ut infra dicetur, cantanda est, *ad hoc, ut testatorum voluntates etiam quoad qualitatem missæ adimpleantur, et licite eleemosyna lucrari possit* (2).

2^o *Cantata*: quia ut anniversarium gaudeat privilegiis, non quidem cum ministris sacris celebrari, sed cantari debet (3). Excipiuntur tamen ecclesiæ minores, in quibus missæ cantari non solent, ubi missæ simpliciter lectæ iisdem privilegiis gaudere videntur (4).

3^o *Relicta ex dispositione testatoris*, ut dicitur in decreto generali missalis et pluribus aliis. Sufficit tamen quælibet dispositio testamentaria, etiam mediata; ut si hæredes anniversarium fundaverint de expressa voluntate defuncti ex bonis ab eodem relictis aut acceptatis: quali dispositione fundata supponuntur antiquiora anniversaria, nisi quid obstat in contrarium. Præterea cum in decreto generali et pluribus aliis (5) dicatur *in die ipsorum obitus*, videtur anniversarium debere esse fundatum in suffragium ipsius testatoris (6); cum

(1) Decretum gen. initio missalis n. 2234-2385 et 3723-3873, item 27 Mart. 1694, n. 3180-3329.

(2) S. R. C. 20 Nov. 1628, n. 628-775; 22 Dec. 1753, n. 4088-4237, 3.

(3) Dec. gen. initio missalis; item 6 Ap. 1680, n. 2770-2919, 3; Cav. t. 3, dec. 30, n. 3 et 4.

(4) S. R. C. 19 Jun. 1700, n. 3416-3565, 9; Cavalieri t. 3, dec. 27.

(5) 5 Dec. 1733, n. 3871-4021.

(6) Cavalieri t. 3, dec. 30, n. 5.